



2b. 15



42.
56

RECTOR
ACADEMIÆ FRANCOFUR-
TANÆ
FRANCISCUS
OMIHIUS,

Artis Medicæ Doctor, & Professor Publicus,
Facultatisq; SENIOR

ad exsequias,
quas

Honestissimæ & pietissimæ matronæ

MARGARITÆ,

Ex antiqua virtutis & meritorum laude nobilitata

HUBNERIORUM familia oriunda
Viri Excellentiss. Clariss. & Consultiss.

DN. MARTINI BENCKENDORFII

SENIORIS, U. J. Doctoris & Codicis Professoris

per XXXVI. annos benè meriti p. m.
relictæ viduæ

Liberi & consanguinei lugentes

IV. ID. OCTOB.

honorificè adparatas cupiunt,

Cives Reipub. Literaria Universos & singulos

amanter invitat.

Literis

Hartmannianis.



Hλιος ἀνατέλλων ἐν ὑψίσοις κυρίῃ καὶ καὶ ἄλλῃ γυναικὸς ἀγαθῆς ἐν κόσμῳ οἰκίας αὐτῆς. Ita mulieris pia & honesta virtutes depingit Siracides: cuius verba Drusus Philologia sanctioris illustrator ingeniosissimus interpretatus est: Sol oriens in excelsis Domini & pulchritudo mulieris bonæ in ornamento domus suæ (paria sunt). Et quidem eleganti depingit simili, nec sine encomio summo, virtutumq; variarum expositione refertissimo: quo probam & honoratam mulierem, quam cum stellis & luna comparare potuisset, velut ἥλιον τῆς οἰκίας solem domus extollit calidissimum, utilissimum, letissimum, splendidissimum. Quemadmodum enim Sol cœli oriens calore suo terram calefacit, efficacitate fructus exuscitat, radiis creaturas exhilarat, splendore caligines dispellit: Ita mulier velut Sol domesticus, amabilitatis calore maritum adurit, animi bonitate domum regit, virtutum radiis inquilinos informat & tandem affectuum moderatione tanquam splendore prudentiæ quasvis adversitatum tenebras discutit & avertit. Unde velut ταμείον ἀρετῆς penu virtutis commendatur & in sacris potissimum literis variis elogiis describitur. Dicit enim idem Siracides: Mulier proba bona est portio & datur tanquam portio eorum, qui timent Dominum. Et paulo post Gratiōsa mulier delectat virum suum & ossa ipsius pinguia reddit scientia hujus. Donum Domini est mulier taciturna & benivola, neq; est precium ullum dignum anima erudita. Gratia est cumulata, mulier pudica & fidelis & non est ullum pondus æquale animæ continenti ipsius. Et alibi. Qui parat uxorem, is constituit principium fortunarum, auxiliatricem secundum

secundum se & columnam requietis. Hujus lampados dome-
stica exemplum si quaerendum, vix inveniemus praesentius & ad
ideam sexus foemineae delineandam accommodatius MARGARI-
TA HUBNERIA: Cujus si respiciamus fidelitatem in diligendo
marito, dexteritatem in educandis liberis, prudentiam in regen-
dis domesticis, patientiam in adversitatibus perferendis, comita-
tem in cujuscunq; sortis hominibus amandis & juvandis, sola vi-
detur possidere domestici Solis titulum. Non enim uni aut alte-
ri, sed toti civitati perspectum & cognitum est, eam fuisse solem
mariti, cum quo calido amore & concordiae animo vixit, ex illo Eu-
ripidis

ὑπερμεγίστη γίγνεται σωτηρία
ὅταν γυνή πρὸς ἄνδρα μὴ διχοσατέῃ.

Quam maxima existit salus
Cum uxor cum viro non dissidet.

quod multò rectius & elegantius expressit Homerus:

--- ἔμην γὰρ τῶ γε κρείσσον καὶ ἀρείον
ἢ ὅθ' ὁμοφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον
ἀνὴρ ἠδὲ γυνή, πολλὰ ἄλγεα δυσμενέεσσι
χάρματα δ' εὐμενέτησι.

Nihil enim hoc potius & melius

Quam cum concordēs animis domum habitant

Vir & uxor: multi dolores inimicis,

Gaudia vero amicis.

Concordiae comes fuit, parata ad utramq; sortem animositas, qua
Solis instar faciem modo serenā, modò nubilosam exhibuit: unde
rectè de ea dici videtur, quod Nazianzenus scripsit de Gorgonia:
Maximae laetitiaeq; modū intellexit, ita ut nec severitate im-

portuna, nec hilaritate dissoluta videretur: sed ex illa prudentia, ex hac comitatis laudem obtineret. Prudentia n. radiis velut Solē virtutis se ostendit & verum mulierū ornamentū expressit, quod ē verbis Tertulliani in eo consistit, ut mulier de simo plicitate promat candorē, de pudicitia præ se ferat pudorem, pingat oculos verecundia, inferat in aurē sermones Dei, manus habeat lanis occupatas, pedes domi fixos, corpus vestitū serico probitatis, bysso sanctitatis, purpura pudicitia. Tādem in ea affulsit comitas optimè maxime cōmendanda, qua tanquā sole benivolentia illuxit non modò sanis, sed etiam agrotantibus: quib. visitando vigilando, cōsulendo, sæpius etiam remedia domestica, qua semper ex requisito bona matris familias parata & præparata habuit, exhibendo singulari fuit delectamento & consolationi. Quo promptitudinis officio præstare voluit, quod doctissimus Virres de Christiana fœmina docet. Tenebit mater familias, inquit, remedia vulgarib. & pœnè quotidianis morbis, eaq; in cellula habebit parata, quib. marito, parvis liberis & familia, cū res ferat, subveniat, ne accersere subinde Medicū necesse habeat & omnia ex pharmacopolio emere. Et paulò post. Frequentib. & quotidianis morbis suadeo medelas ut norit, veluti rursi, distillationibus, scabiei, torminib. & solutæ alvo vel cōstrictæ, lumbricis, dolori capitis aut oculorū, febricula, luxationi, levi scissuræ & similib, quæ singulis propè dieb. levissimis de causis cōtingunt. Novit hac & rarò exemplo tenuit MARGARITA HUBNERIA, supra sexum fœmineū dotata, atq; ita ingens sui desiderium pauperibus & divitibus, tam doctis quam indoctis, exteris, non minus atq; indigenis pariter post se reliquit.

reliquit. In huius mundi aspectu illa venit, natura auctore & propagatore sic ordinante, Anno M.D.LXXIV mense Septembri Berolini, orta ex familia HUBNERIORUM & GOTZKIORUM amplissima, honoribus aulicis nobilissima. Sive n. patrem intueamur, fuit ille M. THOMAS HUBNERUS, vir autoritate gravissimus, consilio dexterrimus, utriusq; lingua tam Attica quam Romana cognitione clarissimus, & duorum inclytæ recordationis Electorum Brandenburgensium Divi Joan-Georgii & Divi Joach-Friderici Consiliarius: Sive fratrem, eum habuit JOACHIMUM, Regia Majestatis in Dania Cancellarium & duorum potentissimorum Electorum Divi Joach.-Friderici & Divi Joan.-Sigismundi Consiliarum, Oratorem & Legatum celebratissimum. Sive avum maternum, fuit ille MARTINUS GOTZKIUS, Reipub. Berolinensis Senator & Serenissimi Electoris vasallus spectatissimus: Sive deniq; quem primò nominare debebamus, avi materni avunculum, eum habuit Dn. D. FRIDERICUM PRUCKMANUM Jctum & Politicum eminentissimum, Serenissimi Electoris Consiliarium intimum & Totius Marchiæ Archi-Cancellarium amplissimum. Quod si in equis dignitatem soboli parentum adferunt animi: Si in arboribus ea plerumq; laudantur, quæ optimis è seminib. coaluerunt, nulli dubitamus omnimatrimonialium virtutum genere præditam fuisse Margaritam nostram, hisce ex familiis natam & ab iisdem piè ac pudicè educatam. Unde etiam conjugium ipsi cõtigit, si maritum spectemus, clarissimum: si societatem conjugalem, jucundissimum: si liberos, fœcundissimum: si domus regimen, placidissimum, & ut uno dicamus verbo, quam diu nõ solutum fuit, felicissimum. Virgo n. anno-

rum viginti duorum A. MDIVC in matrimonium collocata est viro
Excellentiss. Consultiss. & CL. Dn. MARTINO BENCKENDOR
FIO MAJORI J. U. Doctori & Codicis Professore, qui de se gloria
ripotuit, quod olim de sua uxore predicavit T. Pöponius Atticus:
nunquam cum conjugem in gratiam se rediisse, quia nunquam ab ea dis
cessione fecisset. Et jure optimo gloriari potuit, cum eam obtinuerit
conjugem, quae non imitata est speculum pravum, quod leti hominis imagi
nem triste, tristis letam exprimit: sed marito hilari letitiam, moesto e
gritudine adjunxit sociam. Necursa aut leanae instar truculento
vultu & sermone aspero marito se tulit obviam: sed lectionis Acade
micae & facultatis Juridicae laboribus defatigatus ille domi reperit,
cujus in sermone & suavitate curas omnes molestiasque deponeret.
Ex quo etiam effectum est, ut divina benedictione maritum octo liber
orum parentem fecerit: ex quibus ANNA prima caelo, unde digressa
erat, ante parentes illata: adhuc superstites sunt tres filii, THO
MAS LL. & Politicus Studiosus, JOACH. FRIDERICUS Them
idositides Musarumque cultor & ANDREAS: quatuor vero filiae MAR
GARITA, CATHARINA, BENIGNA & ANNA secunda nondum
elocata: excepta CATHARINA, quae ante annum & quod excurrit,
matrimonium inivit cum Rever. viro, ingenio, doctrina & virtute pre
stantissimo Dn. ANDREA VVINSIO Concionatore verbi divini ap.
Principem Megapolitanum aulico. A liberis transcundum ad rei spiri
tualis curam, in qua praeter omnibus unice operam dedit, ut liberos domi
pie educaret & ad literas, honestatemque assuefaceret: ad haec quanto
studio homilias sacras legerit, quanto ardore conciones audiverit,
testantur domestici, quos pietatis radiis illuminavit religiosè: te
stantur templi sancti antistites, quos coluit reverenter; imò ipsa
templi subsellia, quae occupavit assidue. Et quoniam pietatis comes

Et pedissequa curx est: in ea perferenda, animo fuit constanti & fir-
mo; adeo ut testatū fecerit inter marem & foeminā nō animos
facere discrimen, sed sola corpora. Nam ut omittamus alia,
quam plurima, cū ante biennium & xxxi Septimanas capitis sui
coronam maritum amisisset: ex eo tempore nō luctui se & squalori
dedit immodico, sed patiēti animo viduitatis incōmoda sustinuit,
futurū confidens, ut non multo post cum segregata hac sua parte
coalesceret. Quo facto imitata est Theogenā Agathoclis uxorem,
quæ cum agrè à marito divelleretur, masculo hoc sese erexit sola-
tio; Nubendo se nō prosperæ tantum, sed omnis fortunæ in il-
le societate. Ut igitur Sole cœli occidente non desperamus, quia
oriturū mox speramus: ita Sol ille domus caligines aduersit atū
dispellendorerū prosperarū serenitatem expectavit, & toto vidui-
tatis tempore nullam illucere concessit diem, quem non totum, re-
bus mortalibus valere iussis, Deo mancipaverit: nullum unquam,
quem non ut Cato sine linea, sed sine sanctis actionibus & virtutum
officiis præterire passa est: nullum deniq; quem nō perdidisse dice-
bat, si nō pauperibus benignè fecerit, ut meritò de ipsa dici possit,
quod de Paula Romana Hieronymus usurpavit, dicente: apud
pauperes depositam pecuniam optimè servari. Sed ecce! dum
ita in virtutum & humanitatis officiis festinat, primo Octobris
die incidit in pleuritidem, non levem sed vehementem admodum
& omnes Medicorum labores fallentem, quæ vires hujus matro-
na brevi tempore ita labefactavit, ut statim ad mortem se com-
posuerit, nec non septimo post morbum die circa tertiam pomeri-
dianam, piè & placidè sine omni metu & motu exspiraverit: &
quod mirum, sensibus omnibus integris & ratione ne minimum
quidem

quidem labefactata, uno quasi momento & animam & spiritum
DEO reddiderit: cum in his terris vixisset annos XLIX & ali-
quot dies. Hæc vita est MARGARITÆ HUBNERIÆ, non
tam comta sermonis ornatu, quam veritatis testimonio: cum præ-
sertim ne illa quidem ipsa, de qua diximus, dum viveret, lascivo
cultu delectata sit, sed gravitatem in vestitu ac moribus semper
amavit. Cum autem defunctæ hujus matronæ corpus hodiè post
horam XII terræ matri omnium reddendum sit, nostræ huma-
nitatis est, præsentia frequentiaq; nostræ piæ sepulturæ actum
cōonestare & nostram erga DEUM pietatem, erga defunctam
dilectionem, erga liberos relictos *συμπάθειαν* amorem ac studi-
um, quantum in unoquoq; nostrum est, contestari. Quod ut cupis-
de, etiam de monitione hac nostræ, omnes omnium ordinum Aca-
demia civēs faciant, amanter eos pro ratione officii invitamus:
respicientes in tempore hoc morbifico & mortifero ad illud Eccle-
siastici: *ἔμοι χθὲς, καὶ σοὶ σήμερον*: mihi heri, hodie tibi: quod
è spirituali consideratione paucis mutatis aliò inflexit Franci-
scus Rex Gallia, qui cum à Carolo V. Imperatore captivus tene-
retur & in pariete videret solum Imperatoris, PLUS UL-
TRA: veluti Carolum de inconstantia fortune admoniturus, ad-
scripsit: HODIE MIHI, CRAS TIBI. V.

T. E.

Ja 666



ULB Halle 3
002 177 021



A white rectangular library label with a barcode and identification numbers.


5b-700

Von 7

MC







B.I.G.

Farbkarte #13



4h.
56

TOR
FRANCOFUR-
NÆ
CISCUS
HIUS,
, & Professor Publicus,
q; SENIOR
sequias,
vas
ientissima matrone
ARITÆ,
meritorum laude nobilitata
familia oriunda
Clariss. & Consultiss.
ENCKENDORFII
toris & Codicis Professoris
os bene meriti p. m.
æ viduæ
ingvinei lugentes
OCTOB.
paratas cupiunt,
ria *Universos & singulos*
er *invitat.*
teris
annianis.

